

QK. 524, 2.

B. M

II C  
696

OPINIONEM DEORVM  
CICERONEM TOLLERE NOLVISSE  
PROBAT

X 2313062

---

ATQVE  
DIRECTORIS PAEDAGOGII REGII ILFELDENSIS  
PARTES  
RITE SE A. D. XV NOV. VSCEPTVRVM  
INDICIT  
M. CONRADVS NAHMMACHER

---

NORDHVS A E LITERIS COELERIANIS

C I O C C L X I I



8980

OTTO DE MUNDO  
GERONIUS TOLLESE  
TASSAT

ALTA  
DIEGOTIIS PÆDVOCETI EGON ILLIBEDENSIS  
TUTTAS

MIT SE A. D. MA 700 SACERDOTALI


[INDICT]

M. CONRADAS NATHAMAGIER

MONACHAVI THYMIS COMITENSIIS

1610 OCTOBER





2  
providetur, qui dicitur ieiunio omnis, eleemos  
omnes. Gott in eis gloriosus vivat. Debet in Deo omnes  
Ceterorum et pietatis suae obsecrandi, dei, iustitiae  
dei, ut. Deum ergo, cuiusvis tamquam deo sit, & vobis  
sicut deo: quodcumque dicitur, sicut est in hoc.

**C**ICERONIS Theologia mihi quidem talis esse vide-  
tur, qualis fuit Socratis & Platonis, quorum se-  
statorem se & asseclam profitetur. (\*) In alia autem  
omnia multi e doctis hominibus transeunt. Jaquelotius, Gru-  
nebergius, Struuius, Vaninus & Collinus, Ciceronem in  
corum numerum referunt, qui negant, Deum esse. Pan-  
theistam eum esse censuerunt Loescherus & Tolandus. B.  
Gesnerus in vita Ciceronis (\*\*) dicit, Ciceronem, Academ-  
icum,

(\*) Vid. *Tuscul. Quæst.* lib. I, op. tom. III, p. 173, ib.  
p. 175. & p. 176.

(\*\*) *Chrestomathia Ciceroniana præmissa*, paragr. xcviij, p. 47.

micum, omnem sustulisse religionem; utpote qui Cottam  
 faciat negare Stoicorum placita de prouidentia diuina, eum in  
 modum, ut facile sit ad intelligendum, voluisse eum vniuerse  
 prouidentiam, quam natus religio omnis, eleuare. unde &  
 subinde Cotta in eius dialogis vincat. Baylius in dictiona-  
 rio (\*) Ciceronem ex his fuisse opinatur, qui, licet persuasi-  
 non sint, Deum esse, eundem tamen colant pie & veneren-  
 tur. quod quidem difficile fuerit probatu: quum omnis pie-  
 tas in Deum ex eiusdem cognitione fluat sicque deriuanda.  
 Quamobrem, quum religionem ei qua intellectum demerit,  
 vereor, ut ei ullam reliquerit; utue hoc asserto purgatus Cice-  
 ro videri vlo modo possit. Interim tamen ista Baylii *fauora-*  
*bilia* Ciceroni esse censentur a Buddeo, eique minime displi-  
 cent, qui rectius tamem hac in causa sensit. Respectu eorum,  
 quae de natura Deorum tribus libris Cicero differuit, dat, eum  
 Atheum videri: sed putat, ex aliis eiusdem scriptis defendi  
 eum, & intelligi posse, alienum fuisse Tullium abs tanto erro-  
 re. *Alibi tamen*, inquit, *rursus ita loquitur*, *ut scientia*  
*de Deo, eiusque prouidentia & cultu, firmiter animo eius*  
 (\*), Voce Spinoza, p. 2774.

*haeffit credi queat.* (\*) Prorsus autem hanc labem Ciceroni  
 videtur abstersisse Jacobus Fridericus Reimann. Multus est  
 in argumentis refellendo Collino, eumque *natura rida* confe-  
 quitur, quod in Buddei contra eundem disputatione desiderat.  
 Ostendit etiam, *opus non esse, cum Buddeo Ciceronem Cottae*  
*opponere & pro eo absoluendo argumenta extra libros de na-*  
*tura Deorum conquirere.* (\*\*). Nuper hoc de argomento  
 egit Johannes Achatius Felix Bielen, A. M. *in der Historie*  
*der natürlichen Gotiesgelahrheit,* (\*\*\*). &, consideratis  
 omnibus, accessit ad Buddei sententiam. Lapsus autem est in  
 eo, quod sumit, Ciceronem nomen Epicuro dedit; id  
 que inde putat effici, quod Cottam, qui Epicuri de grege fu-  
 erit, subinde faciat discedere superiorem. Sed si ipsum dialo-  
 gum de natura deorum inspicere voluisset, facile potuisset co-  
 gnoscere, Cottam apud Ciceronem non Epicuri sed Academi-  
 corum caussam agere atque tueri. Quin ei *altercasio fuit* (\*\*\*\*)

A 33 cum

(\*) In thesibus de Atheismo & superst. cap. I, paragr. XXII, p. 110.

(\*\*) In historia uniuers. Atheismi & Atheorum, cap. XXXVIII,  
paragr. V, p. 278.

(\*\*\*) Part. I, cap. II, sect. III, paragr. IIII, p. 290, seq.

(\*\*\*\*) De nat. Deor. lib. I, cap. VI.

cum C. Velleio, Senatore, qui apud Ciceronem pro Epicuriensis acriter pugnat; in fine autem dialogi satetur, Cottae disputationem sibi videri veriorem. (\*)

IN defensione Ciceronis, si qua post Reimannum suscipienda est, dederim, eum, qui, perlustratis aliis eius scriptis, animum appulerit ad legendum eiusdem dialogum de natura Deum, existimaturum, saniora hoc contineri & veriora, quam in eo occurrunt. Facendum etiam, neminem ex his, qui apud eum colloquuntur, vniuerse ita de hac re exposuisse, ut satis dignum Cicerone videatur & ferri viro modo possit. Nam Vel-

(\*) Exstat etiam peculiaris dissertatio Joh. Philippi Treunerii de *Theologia Ciceronis*, & Joh. Christ. Haserungius exposuit, de *Cicerone Theologo*. quae tamen scripta non dum vidi; nec adhuc cognoui, quid Kippingio apud Helmstadienses in historia Theologiae naturalis, vernaculae scripta, de Cicerone videatur. In primo Musei Helveticici tomo occurrit Jacobi Zimmermanni commentatio de *Theologia M. T. Ciceronis*; idem de *Theologia Pythagorae* egit eiusdem libri tom III; de *Theologia Plutarchi* tom. III; de *Theologia Euripidis* tom. V, & de *Theologia Homeri & Hesiodi* tom. VII.

Velleius quidem verbis vnice Deum relinquit ; Balbus rerum  
 viuersitatem pr<sup>e</sup> Deo prouido habet ; & Cotta autem vnice  
 propemodum in his refellendis & traducendis occupatus est.  
 Neque tamen ex his de natura Deorum libris peti potest argu-  
 mentum graue aut satis firmum , quo sibi constet , Ciceronem  
 sustulisse Deum. Etenim in his , quae praefatus est , quaeue  
 adeo non ad differentes inter se de natura Deum , sed ad ipsum  
 Ciceronem referenda sunt , non modo affirmat , *maxime veri-*  
*simile esse* , vt sint Dii , sed & *omnes natura duce eo* , vt hoc  
 agnoscant , *vehi*. (\*) quo semet ipsum satis exsoluisse ea , quae  
 in eum confertur suspicione , existimandus est. *Sunt Philoso-*  
*phi* , ita pergit , & fuerunt , qui omnino nullam habere censem-  
 ent humanarum rerum procurationem Deos , quorum si ve-  
 ra sententia est , quae potest esse pietas ? quae sanctitas ?  
 quae religio ? haec enim omnia , pure ac caste tribuenda De-  
 orum numini ita sunt , si animaduertuntur ab his , & si est  
 aliquid a Ditis immortalibus hominum generi tributum . Mitto  
 reliqua , in quibus luculenter ostendit , Deo sublato , tolli fi-  
 dem & iustiam , & fluere inde multa , quae repugnant . Ex

quo

(\*) *De nat. Deor. lib. I, cap. II.*

Quo & ipso apparet, ex Ciceronis sententia, Deum esse. Nec credibile est, voluisse eum & statutum habuisse, ipso dialogo ostendere, se eum non esse, quem se esse in eius praefatione fassus est; & eundem sua ipsius vineta, quod aiunt, caedere. Quaeri itaque potest, qui factum sit, ut isto in dialogo nemo ea, quae ex mente Socratis & Platonis (\*) ratione Dei admittenda sunt, proposuerit, & iis, quae illi suppeditarunt argumentis, confirmauerit. Caussa, si quid video, haec est: quod hoc in dialogo non, quales Dii sint, sed, quales non sint, demonstrare voluit. Itaque nollem in dubium vocare, uti ab Reimmanno factum est, post varietatem Cottac latere Ciceronem; licet hoc dissimulauerit, & se auditorem eorum, qui sermones ferunt, constituerit: fuit enim ei sectae addictus, cuius partes Cotta agit. Quando autem affirmatur, Cottam inter & Ciceronem conuenire, hoc non eo accipiendum, quasi ab omnibus, quae reliqui afferunt, cohiberit assensum. Nam, quod dicit in fine dialogi, *sibi Balbi disputationem ad veritatem*

(\*) Sumo itaque, tanquam satis superque probatum, hos ipsos minime Atheos fuisse. De vtroque egit Reimmannus sua in *bistoria*. Vid, cap. xxi, p. 155, seq. & cap. XXII, p. 159, seq.

*tatis similitudinem videri propensiorem esse, non video, quo-*  
*modo aliter exponi possit, quam, multa Balbum dixisse, quae,*  
*seorsim & in se spectata, fide digna ei & probabilia videantur;*  
*quo minus enim id de singulis aut plurimis Stoicorum placitis,*  
*quae affert Balbus, sumatur, obstat Cottae disputatio.* Ergo  
*hoc sensu, quae Cottae sunt, ea Ciceronis etiam esse dici velim,*  
*quod pleraque ex scriptis Velleii & Balbi ei non arriserint.*  
*Quodsi Cotta dicendus est afferre Ciceroniana, consequitur in-*  
*de, non esse hunc huius dialogi finem, ut tollatur Deus, sed*  
*ut, qualis non sit, planum fiat; utque intelligatur, quid Epicu-*  
*reui & Stoici, vel praeter rem, vel sine iusta & satis idonea proba-*  
*tione, decernant. Nam Cotta non yniuerse negat, Deos esse: sed*  
*negat, tales eos esse, quales Epicurei & Stoici velint. Alienum se*  
*prorsus esse ait ab his, qui Deum eiusque cultum tollunt. Eas opa-*  
*niones, haec sunt eius verba, quas a maioribus accepimus de*  
*Duis immortalibus, defendam semper, semperque defendi:*  
*nec me ex ea opinione, ullius unquam oratio aut docti, aut*  
*indociti mouebit.* (\*) Haec de se dicit intelligenda. Alio in  
*loco (\*\*) tantum non totidem verbis dicit, se, licet perspiciat,*

B

Deos

(\*) *De nat. Deor. lib. III, cap. II.*

(\*\*) *De nat. Deor. lib. I, a. pxi. ex*



Deos esse , & quales sint , nolle tamen nunc ea prosequi , & agere aliud , quam ut ostendat , quales non sint : quod ita ferat instituti colloquii finis . Verbis autem his usus est : *Roges me , Vellei , qualem Deorum naturam esse ducam : nihil fortasse respondeam . Quaeras , putemne talem esse , qualis modo a te sit exposita : nihil dicam mihi videri minus . Ergo quando in consequentibus dicitur , in eiusmodi sermone facillimum esse , negare Deos , & quando Cotta in dubio ponit , esse Deum & prouidentiam , aequum est , hoc subinde referre ad allatas a Velleio & Balbo causas ; eritque ita intelligendum : id negari , aut in dubium vocari posse , nisi alia argumenta , aut alio modo afferantur , quam ab his factum sit . Quod itaque dicitur de nat. Deor. lib. III , cap. xvii , *Carneadem egisse ita , non ut Deos tolleret , quo nihil minus Philosopho conueniat ; sed ut Stoicos nihil de Diis explicare conuinceret* : idem etiam de Cotta statuendum . Adhaec , ignotum est nemini , Ciceronem ea etiam , quae certa habuit , plerunque dubitanter efferre . His consideratis , translaturus essem Arnobii de Cicerone iudicium ad hosce libros de natura Deorum , & vna cum Fabricio (\*) asserturus , eum in finem eos*

com-

(\*) In biblioteca Latina , lib. I , cap. viii , p. 118.

compositos a Tullio esse, vt, *nullam veritus impietatis inuidiam, ingenue, constanter & libere* (\*) *deastricolarum superstitutionem refelleret*: nisi me detineret hoc, quod videam, ipsum Cottam, eo in loco, quo se cultorem Deorum dicit, superstitutioni fauere. Libros de diuinatione nihil hac in caussa moror. Nam diuinationem, qua vtebantur aruspices, augures, coniectores, impugnasse, nemo Ciceroni vitio dabit.

NEANDRINI Directoris munus, ad quod missis his peruenio, eo laetiori animo suscepturus sum, quo pluribus mihi vestigiis & indiciis constat, a Deo profectum esse, vt Osnabru-  
go sim euocatus. Vitae rationem hoc in loco plenius expone-  
re, vti fert mos, superuacaneum foret. Jam enim quaedam  
eius descriptio a me inserta est programmati, quo b. Abbas  
Seidelius introductionem meam ad Rectoratum scholae oppida-

(\*) Arnobii *disputationum aduersus gentes lib. III, p.176.* In-  
teger locus est hic: *Ante omnes Tullius, Romani disertissimus  
generis, nullam veritus impietatis inuidiam, ingenue, con-  
stanter & libere, quid super tali opinione (nempe, prae-  
stantissimam naturam diuisam non esse per sexus) senti-  
ret, pietate cum maiore monstrauit.*

nae Helmstadiensis indixit ; & annotationibus meis ad locum  
*Matth.*, XVI 111, 24. aditiali orationi , in Gymnasio Osnabru-  
 genfi habitae, praemissis. Ex hisce scriptis pleraque depro-  
 fit S. V. Stoschius , qui de me egit in decimo septimo tomo  
*des neuen gelehrten Europa* , p. 160, seq. ubi etiam exhibet  
 indicem singulorum scriptorum , quae publici iuris feci usque  
 ad annum CLOCCCLX. Ex eo tempore , quum, praeter Pro-  
 fessoris & Rectoris in Gymnasio Osnabrugensi munus , mihi  
 etiam demandaretur officium administri verbi diuinū ad S. Ma-  
 riae aedem & Assessoris Consistorii ciuci , mihi non iam vaca-  
 uit , multa euulgare scripta. Edita autem sunt haec , quae se-  
 quuntur : *Animaduersiones in Euangelium Hebraicum Seba-*  
*stiani Münsteri* , Osnabrigi CLOCCCLXI : *eine Predigt von*  
*der Offenbarung des Zorns Gottes über die Sünden der Men-*  
*schen* , Butzouii & Wismariae, impensis Bergeri & Boedneri  
 CLOCCCLXI : *Animaduersionum in Euangelium Sebastiani*  
*Münsteri Specimen II* , Honnouerae CLOCCCLXII : *Quaedam*  
*ex argumentis pro diuinitate scripturae* , quae percurri , ut  
 eis subiicerem significationem doloris percepti ex morte filio-

rum

rum Praenobilissimi & Doctissimi Viri, Gerhardi Friderici Meuschen, ciuitatis Osnabrugensis Secretarii optime meriti, Hannouerae cœloccclxii : *Einführungs - und Antritspredigt*, Hannouerae eodem anno : *De subiectis noui instrumenti libris*. qua scriptione orationes , exactis a Magnifico & Illustri Viro, Eberhardo Berghof , in Senatorio ordine decennalibus quintis , in Gymnasio Senatorio habitas indixi , Hannouerae cœloccclxiii : meine *Abschiedspredigt* , quam Raceburgi, ipso in itinere constitutus, foras dedi. Prope diem euulgabitur meine *lateinische Grammatic* , ad ductum Cellarianae elaborata ; atque eine *Erkläerung der Leidensgeschichte Iesu*. Occupatus etiam sum in eo, ut, mutata prorsus facie & variis accessionibus aucta, denuo prodeant specimina *de naturali Theologia M. Iulii Ciceronis*.


INTRODVCE<sup>T</sup> me, Summatum auspiciis, Io. DAVID<sup>VS</sup>  
MICHAELIS, Potentissimo Magnae Britanniae Regi a Consiliis  
aulicis, Professor Philosophiae in Georgia augusta publicus or-  
dinarius , Regiae societatis scientiarum Director, Vir consum-  
matae eruditonis & famae celebritate quam maxime conspicuus,

ut & Celeberrimus & Doctissimus KLOTZIUS , Philosophiae  
in eadem Academia Professor publicus ordinarius. quos Vi-  
ros, publice ad me inaugrandum verba facientes , ego qui-  
dem excipiam aditiali oratione , eaque demonstrare annitar,  
*quantum ad formundos mores faciat , industrius versare*  
*manibus Romanorum libros.* Testis huius caerimoniae so-  
lemnis erunt Amplissimus & Consultissimus GVLIELMVS ER-  
NESTVS CHRISTIANVS de WULLEN, Regis nostri in Co-  
mitatu Hohnsteiniensi Commissarius & circuli Ilfeldensis Prae-  
fectus , cuius humanitatem prorsus insignem iam expertus sum,  
& Amplissimi Doctissimique Comitum Stolbergensium Commis-  
sarii. Itaque Patronos & Fautores huius sodalitii Regii; eiusdem  
Collegas , optime de eo ornando promeritos , eorumque au-  
ditores carissimos , deditissime rogo , vt se ea die frequentes  
in auditorium Paedagogii maius conferre & dicentibus fauere  
linguis velint,

LECTIONES , in quibus per hoc semestre spatum ero oc-  
cupatus , iam suo in catalogo exhibuit MEISNERVS , A. M.  
& Rector huius Paedagogii optimus. Deus vero, qui me trans-  
tulit ad hasce sedes exoptatas , faxit , vt auspicium occupatio-

num

num mearum hoc in loco earumque continuatio fausta sint huic  
Gymnasio & salutaria, vtque spe sua non excidant, quam de  
me multo, ac commeritus sum pleniorum, suscepereunt qui iu-  
uando & augendo Musarum nostrarum flori caelitus & plane ex  
voto nostro dati sunt, tanta mihi maiore pietate per vitam  
omnem colendi. Dabam Ilfeldae Hercyniae a. d. II. Nou.  
clo lcccclxxii.



QK 7c 696

XV  
herrn Michaelis noch in jede einzelne Conversation fand sich eine  
Gesinnung & Leidenschaft welche sie von vorn erholte, dieweil die  
weil manche der conversatoren zum platonischen, hingeben der in-  
seyn ob es nunnebene Wissenschaften noch solches & dergleichen ex-  
voso wesen die fand, dass man mit so geringe Beute herauw  
eigenten Gefaecht, Dass aus diese Historiaen &c d. d. Mon-

cls 1662 XII

